223

1561. d. 13 Martij

Ex Ms. Bielinsciano

Literæ regiæ ad Mr. Cromerum

Venerabilis devote nobis dilecte. Probatur nobis vehementer studium, opera, et diligentia D. tuæ quam scribit se adhibere in negotiis nostris, tam apud M.tem Cæs. quam etiam apud S. regem Bohemiæ, in eoque ut perseveret, curetque, ut aliquando tandem ad optatum finem perducantur etiam atque etiam eam hortamur. Inprimisque det operam, ut ea presint extra omnem controversiam et quæ etiam adversarij fatentur esse nostra, quam primum nobis restituantur. Nam hoc tempore, si quando alias pecuniæ nobis opus est, cum nobis ingens bellum, cum principe Moschoviæ pro vicinis nostris Livonibus imminere videtur, quod quidem iam necessario suscipiendum nobis esse putamus, adnitendumque sedulo, ut insolentes hujus hostis conatus Deo favente reprimere possimus. De excusatione autem quam scribit D. tua se fecisse nomine nostro apud Cæs. M.tem, quod accusaremur non responsisse ad binas literas, et quod non modo apud reges, et principes, verum etiam in conviviis et in alijs celebribus locis, in consessu Oratorum, principum tueatur D. dignitatem nostram, per gratum et per jucundum id nobis accidit. Bullam concilij arbitramur esse missam ad nos ab oratore, summi pontificis qui nunc est Varsaviæ, sub ipsum plane discessum Rmi eppi Cracovien. Varsaviam, quam nos tamen adhuc, et propter celerem ipsius Dni eppi discessum, et propter occupationes quibus tunc distinebamur, non dum vidimus. Cum primum autem Rmus Dnus eppus redierit, quem expectamus intra hos quindecem dies lecta ea bulla, et communicato cum consiliariis nostris, consilio non committemus, ut quod iam pridem maximo desiderio universus christianus orbis expetebat, id nos oblatum repudiasse videamur. De scripturis quod ad nos D. tua

scripsit.

scripsit nihil ejusmodi apud nos inveniri potuit, prater exempla quarundam literarum ex ijs quae D. tua requirit, quas nunc ad illam mittimus, speramus autem has omnes scripturas esse, apud Rmum D. Eppum Cracovien., qui ut primum redierit, mandamus eas diligenter perquiri. Quo tempore etiam ad D. tuam de ceteris rebus fusius scribemus, interim ut cepit curet diligenter nostra negotia, quod illam pro fide et officio suo, ac gratia nostra regia sedulo facere non dubitamus. — Vilnae 13 Martii 1561.

Stąday się odrzekać poczynaymniey ke pieniądze, które poczęła strona sama porzyznać, potrzebne bywdze na woyną z Moskalami z powodu Inft. interedctow.